

Opponentes: Ypselius, Dr. Danielsson.

Q. B. V. 70
SPECIMEN GRADUALE,

De
**NECESSITATE
ARTIS CRITICÆ
APHORISMIS NONNULLIS
COMPREHENSUM,**

QUOD,

*Consentiente Amplissima Facultate Philosophica
in Reg. Academ. Aboënsi,*

PRÆSIDE

**H E N R I C O
H A S S E L,**

Eloq. PROFESS. Reg. & Ordin.
h. t. RECT. MAGNIF.

*Ad publicum examen deferit
STIPENDIARIUS REGIUS*

ABRAHAMUS LEGNER,

v. g.

Die XVI. Julii Anni MDCCLI.
Loco & horis p. m. consuetis.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.



I. N. f.

APH. I.

Ars Critica in eo præcipue occupatur, ut scripta veterum rite examinet, sensum eorum genuinum eruat, quænam scripta sint vera, quænam spuria dijudicet, & denique qua ratione loca corrupta sint emendanda tradat.

Critica a Græco verbo κρίνειν originem suam habet, & ita dicitur, quod nos docet de sensu ac mente scriptorum judicare. Veteres Græci hanc Disciplinam adeo angustis limitibus voluerunt circumscripam, ut non nisi eos, qui de Poëmatibus judicare noverant, Criticos appellaverint, ut testatur Eustathius in Homer. Deinde autem scientia hæc, in ampliorem emulsa campum, non solum ad Poetas, verum & prolatæ orationis scriptores interpretandos adhiberi cœpit. Sumitur Critica vel latius vel angustius. In latiori significatu complectitur & solidiorem Lingvarum cognitionem & scientiam loca scriptorum corrupta emendandi. Strictius vero accepta in dicta tantum emendatione versatur. Conf. Valch. Lexic. de Critica.

A

APH. II

APH. II.

Etsi circa scripta veterum intelligenda, sensus dignoscendos & corruptiones emendandas versatur Critica, ut §. anteced. dictum est; inde tamen non sequitur, quod ipsum rerum veritatem pro scopo habeat.

Finis Critices præcipuus est efficere, ut sententia scriptoris bene percipiatur. Non curat Critica, verumne an fallum sit, quod dixerunt ii, qui de rebus scripsierunt. Sufficit si modo ipsum scribentis sensum adiequi liceat, sive veritati is congruat, sive ab eadem quam maxime abhorreat. Non quid cogitare debuit Scriptor, sed quid re ipsa cogitavit Critices est disquirere.

APH. III.

Quum in solo sensu intellecto adquiescat Critica, nulla suppetit ratio, cur existimemus, nos ideo rem ipsam comprehendisse, quod scriptoris sententiam fuimus adsecuti.

Ut rei veritas a sententia auctoris non dependet; potuit enim de rebus scriptor fallum fovere conceptum; ita nec ubique veram rei cognitionem ex percepta mente scriptoris nobis polliceamur.

APH. IV.

Quamvis non rem sed sensum intendat Critice, ejus tamen necessitas propterea non est neganda.

Fue-

Fuerunt, qui egregiam hanc artem tanquam pesterem & contentionum somitem penitus proscribere volunt; sed hic error adeo est crassus, ut refutatione indignus videatur.

APH. V.

Ex terminis & constructionibus obscuris & ambiguis in scriptis veterum haud raro occurrentibus sensus auctoris verus frustra eruitur, nisi regulæ, quas tradit ars Critica in subsidium vocentur.

Scripta Aristotelis & inde natam Philosophiam Scholasticam, qui evolvit, tantam in illis reperiet copiam verborum obscurorum & ambiguorum, ut vix dici possit resne an verba ibi sint obscuriora. Exempla constructionis ambiguæ qui videre avet, adeat Clericum in Arte Critica P. II. S. I. c. XII. Hos scopulos ut prætervehamur, Critica ceu optima pyxide indigemus.

APH. VI.

Evincitur ulterius necesitas Artis Critice ex diversitate sententiarum sub iisdem loquendi modis interdum latentium.

Ad diversa exprimenda dogmata easdem saepe adhibitas esse phrasæ facile nobis erit demonstratu. Philolophi gentiles iisdem interdum sententiis utuntur ac scriptores sacri, cum tamen a sensu eorum sint remotissimi. De Trinitate & Spiritu S. mentionem faciunt

ethnicorum scripta, sed alio prorsus sensu ac Sacer Codex. De Trinitate illorum erat opinio: unum quidem esse Summum DEum, causam omnium primam, reliquos autem duos a Summo illo creatos. Cler. Art. Crit. P. II. S. I. c. XV. Per Spiritum S. cuius meminit Seneca in Epist. XLI. intelligitur animus humanus, pars animæ mundi seu DEi Stoicorum, ut ipse contextus rem attentius consideranti facile suppeditabit. Hac Senecæ phrasi deceptus fuit Hugo Grotius, eandem cum Scriptura Sacra optime consentire judicans. Hæc & alia id genus plura rite fecernere fructu suo non caret.

APH. VII.

Difficultates sensum Scriptoris perspiciendi, quæ ex stylo Rhetorico & allusione phrasum ad consuetudines & opiniones populorum oriuntur, legentem facile deludunt, nisi Arte Critica adjutus eas novit removere.

Quod non semper suppetant voces & locutiones propriæ ad res exprimendas, non opus est ut multis problemus. Rerum numerus est infinitus, vocum vero finitus; igitur ad locutiones tropicas Scriptoribus necessario fuit configiendum. Quæ autem translationum sit vis & quantitas, non semper in promtu est definire. Ad opiniones & consuetudines suæ gentis sœpe etiam adulidunt Scriptores, unde & locutiones inde natæ difficile intelliguntur. Occurrunt vero tales non modo apud Scriptores profanos verum & sacros. Interpretum igitur est, Artem Criticam rite adhibere, si sensum verum exhaustire cupiunt.

APH. VIII.

APH. VIII.

Interpolationes & suppositiones, quibus turgent monumenta veterum, lectori facile fucum facient, nisi quis Arte Critica munitus hujuscemodi corruptelas valet detegere.

Est necessitas & usus Critics heic maxime conspicuus. Jam addendo, jam detrahendo, jam substituendo quidam veterum monumenta adulterarunt, ut nova eorum dogmata veterum auctoritate niti, aut saltem priscorum dictis non repugnare viderentur. Conf Morhof. Polyhist. Libr. I. c. 9. & Vover Polymath c. XVI. Neque Christiani ab hac cuipa fuerunt immunes. Qui antiquitatem in suas partes trahere valebat, adversarios suos quasi nova molitos facile debellabat; quare etiam si&etæ constitutiones Apostolicæ & plurimi fœtus adulterini in publicum prodiere, qui parti laboranti essent subsidio. Sic Dionysio Areopagitæ tributa sunt scripta, quæ illius non erant. Idem etiam contigit Ignatio, Episcopo Antiocheno. Epistolæ, quas nunquam consignaverat sub ejus nomine fuerunt circumgestatæ, & in genuinis integræ periodi aliena manu insertæ, quod ex Epistolarum ejus diversis editionibus ostendit Clericus Part. I. S. III. Nec minus Pontificii monumenta patrum fœdissima castratione & suppositione vitiarunt. Quæ cum ita sint ipsa necessitas efflagitat emendationem, quæ beneficio Critics optime obtinetur.

APH. IX.

In scripta veterum varia irrepere menda, ad quæ notanda, & quoad fieri potest emenda, ope Criticas via munitur tutissima.

Heic non agimus de loco prolixiori depravato, sed eas intelligimus corruptelas, quæ ex sphalimatibus minoribus profluxerunt, qualia sunt v. g. literarum & vocum commixtiones & confusiones, quas genuit vel incuria & imperitia librariorum, vel oscitania Criticorum, vel nequitia impostorum. Hisce morbis ut paratur medicina admodum est necessarium.

APH. X.

Si ii , quibus cura Sanctioris doctrinae est commissa , integratatem Scripturæ Sacrae adversus quoslibet hostium insultus vindicare velint, validæ rationes Criticas sibi debent prospicere.

Quid Capellus, quid Itaacus Vossius, quid Richardus Simon, quid alii plures sint conati manifestum est. Eiusmodi autem gigantibus, nisi qui armis criticis bene instructus fuerit, obviam ire potest nemo.

APH. XI.

Necessitas Artis Criticæ in Historicis est irrefragabilis.

In scriptis veterum multa sunt interpolata, supposititia multa, ut ex §. VIII. patet, quæ nisi rite examinat & dignoscit Historicus, nubem, uti dicitur, pro Juno-

Junone & fabulas falsasque relationes pro veris historiis amplectatur necesse est. Sic veteres minus periti Christiani varia commenta sub nomine Apostolorum suscepereunt. Homines quoque audaculi ex veteribus Historicis detrahebant, quæ cum receptis sententiis aut cum fide historica minus congruere illis videbantur. Luce igitur Critices caligo talium fictionum aliarumque deceptionum est discutienda.

APH. XII.

Philologo studium Critices apprime est necessarium.

Philologus quatenus solidiori lingvarum cognitione est imbuendus, necessum habet emendare ea, quæ vel injuria temporis vel incuria & data opera hominum sunt depravata. Nisi interpolata glossemata removerit, & genuina ab adulterinis studiose discreverit, in rebus suis vix expectabit successum.

APH. XIII.

Ex iis, quæ jam dicta sunt, facile erit colligere, in literis humanioribus admodum necessariam esse Artem Criticam.

Literæ humaniores ita dicuntur, quod mentem humanam perpoliunt atque exornant. Hæc studia intra

intra duas Disciplinas Philologiam videlicet & Historiam includunt Walchius & alti. Vid. Walchii Lexic. c. de stud. human. & Rechenberg de studio Academ. Quoniam vero Critices necessitatem in Historicis & Philologicis modo demonstratum ivimus, per se clarum est, Artem Criticam literis humioribus socias porrigit manus.

SOLI DEO GLORIA.

